


**05
A
2393**



BREVES OBSERVATIONES
Genuini disputandi processus,

pro quibus,

Annente supremi Numinis gratiâ,
SUB PRÆSIDIO

M. MICHAELIS WENDELERI,

Facult. Philos. Adjuncti,

HEINRICU S THOMÆ

Mœno - Francofurtanus

publicè respondere tentabit

die II. Julij horis antemeridianis
in Auditorio minori.

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.
Anno clo Iec XXXVIII.



05 A 2393

Præloquium.

Quamvis cum lacte mater nostra nobis dulce propriavit sciendi desiderium, ita ut πάντες ἦν Φίσαι εἰδένειν
 ὥργειωνται: magna tamen caligo obscurat intellectum.
 Protoplastarum vitio in nos derivata, ut illinc nobile nos
 alliciat desiderium, hinc spississima remoretur ignorantia. Certè hominum conditio peior animalium, si
 non cœlirus medicinâ aliquâ cautum esset, quâ adiuti
 appetitum nostrum in tranquillo poneremus. Nam
 videmus, naturam dedisse tauro cornua, cervo & lepori
 velocias adcurrentem pedes, volatilibus alas, his ut sese
 defenderent. Ita & nobis à naturâ aliquid concessum
 esse, à quovis cordato facile sum impetratus, cuius ope
 veritatem in quibusdam assequi possimus, non minore
 certitudine, quam aut in erudito suo pulvere sine errore
 demonstrat Archimedes, datis duobus lateribus tertium
 invenire, aut datis duobus numeris $\pi \delta\delta\mu\epsilon\nu\omega$ elicit Eucli-
 des. Audire enim quotidie tam multa de Ιεράπετρᾳ aliquo
 θρισμῳ, qui (ut Minerva apud Homerum Diomedi ca-
 liginem ab oculis abstersit) veritatem densâ nebula in-
 volutam evolvat abstersâ inscitiae rubigine: qui funis in-
 star, [qui Anachoretæ illi cœco aquatum exeunti pro sole
 atque oculo fuit] aut fili [quod ad januam ab Ariadne al-
 ligatum Thesea ad Minotaurum per tot cœcas Labyrinthi
 ambages duxit reduxitque] omnes viæ, quâ ad veritatem
 grassari solemus, difficultates nobis explicet: tanta, in-
 quam encomia audire, & tamen non nisi cespitare & la-
 bi posse, id esset audire sine mente sonos & inania verba.
 Damnati quidem sumus ad rerum preclarissimarum,

A 2

igno-

ignorantiam, non [ut Tantalus, qui frustra captat fugientia poma] ita tamen, ut non aliqua, quæ ad Dei gloriam, nostrique usum pertinent, scire detur. Hæc cùm ita sint, rectè faciunt, qui, ut ex errorum Labyrintho se expediant, de Ariadnæ filo sibi prospiciunt, h. e. Logicā, omnium eorum, quæ scientiæ acquirendæ instrumenta dicuntur, utilissimo. Plurima & nobilissima M. Virorum hāc de re extant monumenta: Analysis C. Martini: Pædia D. J. Martini: Processus disputandi Hornæji & Scharfii: Idea Boni D. & malitiosi Sophistæ Dannenhaue-ri. O aurei libelli! ô cedro & marmore digni! Ex his paucas quasdam Positiones de methodo disputandi electas publicè proponimus. Prima explicat, disputare esse neces-
sarium. 2. Objectum disputationis. 3. Personas disputantes.
4. Harum requisita. 5. Officia generalia. 6. Officium Opponentis. 7. Officium Respondentis. Deus, qui hanc po-tentiam disputandi homini indidit, faxit, ut hujus ope-
ritatem discamus, & tueamur.

POSITIO PRIMA.

Disputare ob varietatem opinionum necessarium est.

ENODATIO.

§. I. Hoc intelligendum est, vel in genere, vel in specie de certis hominibus. Ultroq; modo acceptum affirmatur, Prius statuminat naturalis necessitas. Ut enim homo est naturâ animal politicum, ita etiam naturâ discursivum: seu, ut Musica ac aliæ quædam poten-
tiæ naturales, ita & facultas disputatoria. Adprobat hoc mentis cœcitas. Hujus enim acies post primi parentis lapsum adeò obscu-
rata fuit, ut in plerisq;, tanquam vespertilio ad meridianam lucem, cœcutiret. Requirit hoc veritatis difficultas, quam sine prævia dis-
quisitione non invenimus. Cùm enim falsitas sit multiplex, una
autem veritas, in id unicè nobis incumbendum disputando, ut veri-
tatem

tatem in profundo puto delitescem in lucem protrahamus. Confirmat Christi autoritas, & officium elencticum, quod suis discipulis injunxit. Christum cum Diabolo, Iudeis & Pharisaeis disputationis serram duxisse, plurimi Novi Instrumenti docent loca. Mandatum elencticum, quod in statu hieratico versantibus commissum, disputando exeritur.

§. 2. Ita & posterius ex singulis hominum statibus patet, quibus ut veritatis studium incumbit, ita & pro re natâ de dubiis quæstis disputatione oportet, ut veritas inclarescat satis. Omnia probent, &, quæ vera proprio judicio analytico judicata fuerint, recipient, & quæ veritate secessum fecerint, omittant.

POSITIO SECLINDA.

Disputationis objectum est thesis, non quæ pœnâ & sensu, sed ratione, indiget.

ENODATIO.

§. 1. In genere omnem thesin in dubiam venire posse, autor est Philosophus. Quomodo vero intelligendum, statim subjicit: scilicet hunc, quæ ratione, non sensu & pœnâ indiger. Pœnâ coercendus foret, si quis quereret, num Deus colendus? num parentes honorandi? si quis dubitaret, num nix atra, num alba, sensum judicio destitutum esse meritâ diceremus: aut, si quis negaret ignem esse calidum, igni admovendus tam diu, donec fateretur, rem ita esse.

§. 2. Quæstio dubia à Logicis appellatur Topica seu probabilis, quæ vera videtur, vel omnibus, vel pluribus, vel sapientibus, iusq; sapientibus omnibus, vel pluribus aut præstantioribus. Cujusmodi sunt plurima, quæ ex variis sumuntur locis. Nam non omnia possunt infallibiliter probari, ut scientia, quæ animam facit immutabilem, oriatur, ob principiorum cognitionis & probationis defectum. Quædam enim certa, quædam incerta. Certis, ubi rectè fuerint cognita, mens assensum præbet, vel ob rei evidentiam, vel ob demonstrationem, vel ob universalem experientiam, aut testimonia non fallentia. Incerta, quibus mens langvide sum addit calculum. Hec sunt, quæ probabiles & dubiae vocantur Conclusiones.

A 3

§. 3. Cir

§. 3. Circa hanc dubiam quæstionem plurima sunt notanda: 1. Certus theses sensus est constituendus. Nam quia hæc est litis materia, de quâ disputandum, requiruntur voces certæ, perspicuae, receptæ, usitatae & propriae, quæ certum aliquem conceptum in intellectu legentis & audientis efformant. Si voces equivocæ, obscuræ, peregrinæ, atq; inusitatæ, de genuino thesium sensu fluctuantum est, adeoq; disputatio ipsa evadet rixosa ac verbosa, veroq; destituerit fine.

§. 4. II. Ubi theses sensus constat, verbis rigerosè non est inhærendum. Nam primò omnes ἀγοναξία futilis & inutilis est, & in verbis possumus esse faciles, si in rebus convenimus. Qui nulla urgente necessitate, verba morosè urget, crimen verbosi, contentiosi, calumniosi & malitiosi non evitabit. 2. Primaria candidi disputatoris cura in theses examine ita versari, ut primariò res, hinc verba attendat, observatis diligenter circumstantiis & variis sermonum generibus.

§. 5. Primò sermo est vel proprius & cauтор, vel improprius & quadantenus incautus. Authores enim quia affectibus & humanae infirmitati sunt obnoxij, sàpè ob veritatis amorem & odij detestationem, vel ob metum, vel disputationis ardorem, dum res attendunt, in modo loquendi deficiunt, ut durius loquantur, vel nimium exaggerando, vel nimium extenuando. Hic, qui candidus est, verba juxa varios sensus, vel examinet, vel si res ardua, petat ab antagonista, ut se explicet: si sensus bonus in diversis loquendi modis, est admonendus, ut, cùm idem sentiat, etiam nobiscum loquatur.

§. 6. Deinde aliis sermo est accuratus & alias popularis. Hic sape circumstantie suadent, ut authores vulgaribus loquendi modis utantur, ceu liquet, ex didacticis, concionibus, colloquiis &c. Valet hic regula: loquendum cum vulgo, sentiendum cum eruditis.

§. 7. Tertò aliis est recitativus, aliis assertivus. Prior quando historicè aliquid enarramus, idq; ex mente aliorum: posterior, quando quis ex propriâ mente statuit id, quod ex rei veritate statuendum est. Hic ea non sunt enarranti, cùm hæc non probet, imputanda, qua ex aliorum mente recitavit. Assertivus, itidem

itidem geminos, probabilis & firmus: illic dubitative, hic certe, loquitur. Inde hoc ortum: aliud est dogmaticè, aliud gymnasticè scribere.

§. 8. Porrò sermo alius est Logicus, alius Rethoricus: ille rem simpliciter & nudè; hic vehementer & pomposè. Rethores enim, ut factum vel valde exaggerent, vel valde extenuent, parabolice loquentur: multæ etiam hyperbolice inculcant, vel occasione locorum, personarum, temporum adducti, vel affectuum impetu rapui. Hic non verba, sed scopus dicens est pensandus.

§. 9. Denig, sermo alius est absolutus, alius respectivus. Sic absolute verum est: quod ex carne natum est, caro est: & quod ex Spiritu, Spiritus est. Sermo respectivus non debet extendi ultra loquentis mentem: in primis hic cauzione opus est, ubi restrictio est omessa, & verba comparativum sensum sustinent. Exempla plura collegit Clariss. L. Scharf. in processu disputandi pag. 58. 59. & 60.

§. 10. III. Thesis non sit coacta & violenta. Iniquum sanè est cogere aliquem ad contradicendum, ut contrà sentiat aut disputet, cum ipse contrarium, neque sentiat, neque amplectatur, cum omnis thesis arbitraria sit necesse, hoc est, talis, quam deliberatum alicujus studium, judicium & propria approbet voluntas.

§. 11. IV. Thesis non sit inutilis, vana, inepta & ridicula. Has questiones & contentiones devitandas esse, graviter monet Timotheus, quod lites generent. Ars longa, vita brevis. Ergo missis iis, quæ alias appellantur πόρεγγα, omnibusque iis, quæ parum faciunt ad Ecclesie & Reipub: edificationem, ad necessaria & honesta, animus est preparandus, ut, his cognitis Deo inserviamus, religionem defendamus, & Rempub: tueamur.

§. 12. Utiles questiones sunt, quæ necessarie, & ad certum finem consequendum faciunt: inutiles, quæ & usu & fine destituantur: Suntq; vel simpliciter inutiles, quæ planè nullius ponders, vel secundum quid. Planè inutiles sunt disputare de Scholasticorum hæcceitatibus, de singularizationibus: in Physicis, de Cœlo Empireo, de hypotheses impossibili- bus

bus: quomodo Aristoteles hoc vel istud vocabulum accep-
perit? quomodo amica in contradictionibus conciliatio sit
invenienda? In Logicis de ordine, num primo loco de Genere,
num de Specie sit agendum? Secundum quid inutiles sunt, que
usum in praesenti disciplina non habent: ut in Metaphysica, de gene-
re disputare, num sit sapientia, vel scientia? in Physicis de con-
ceptu corporis, num sit univocus ad inferiora, num analogi-
cus, num aequivocus? An terra, & quorsum moveretur, si ab-
straheretur a suo centro? Unde, si motus cœli incepisset, num
ab ortu, num ab occasu? Utrum, si daretur vacuum, per illud
corpus moveri posset? in Logicis, num sit Ars? an objectum
sint notiones secundæ? an Prædicabilia sint entia rationis? &c.
Hæc, sive affirmentur, sive negentur, ad disciplinæ finem nihil con-
ferent.

§. 13. Admodum aptè solent dicere quidam docti viri: hos
Philosophos fuisse universalistas. Certè fatendum est hoc, in-
primis in Physicis, ubi nucleus ab iis nunquam est fractus. Quid
enim eorum disputationes, nisi materiam primam, ipsiusq; appeti-
tum, num appetat formam Electoris, num muscæ, spirant? Si
ad specialia quandoq; descendebant, ibi vel ut mus, in pice hærebant,
vel in medio subsistebant, vel de iis, qua non in naturâ, sermocina-
bantur. Ita suis inventis aliquem conciliarent applausum, specio-
sos præfigebant titulos: Secretiora Physica: Distinctiones Physi-
cæ &c. Si defundamento queritur, non in natura, sed in Aristotele,
Connimbricensibus, Complutensibus atq; aliis extat. Exclu-
duntur ergo a cœtu Philosophantium? certè, si locum habet, quod
ipsimet fatentur: non esse Philosophos, qui non ad specialia
descendunt. Pertinen. hic ridicule quæstiones de novo Mundo
lunari, ipsiusq; incolis, de terræ loco inter Planetas, de mure papi-
starum exenterato. Quod exemplum ultimum Clariss. Scharf. egre-
giè perstringit in processu disputandi.

§. 14. V. Thesis non sit manifestò vera, nec manifestò fal-
sa. Nam quia disputationis finis principalis est veritas, secunda-
rius nostrum exercitium, nihil hæc disceptatio ad hos fines faciet:
v.g. si quis quereret, an sit Sol? an detur motus? an nix sit alba?
num juventus sit informanda? num Mathesis discenda? Hæc tam
mani-

manifestò vera, ut etiam lippis & consoribus nota. Interdum, tamen, si tam stultus inveniretur, hæc qui in dubium vocaret, de his loquendum, non veritatis gratiâ, sed ut stulto ad suam stultitiam respondeatur.

§. 15. Ita & de aperte falsis qui disputat, non nisi sophisticas profert nugas, quibus veritatem obscurat, & simplicioribus glaucom aobjicit: ut si quis diceret, solem non calefacere, non facere diem, Logicam nil nisi meras sophistications tradere, syllogismum impedire veritatem, disputationes syllogisticas esse perniciosas &c. Si verò non nunquam fiat, id tamen ita debet esse comparatum, ut non ab omnibus concedatur, nec quivis sciat, id esse falsum.

§. 16. VI. Thesis non pugnet cum pietate aut bonis moribus. Piores, ut antea monuimus, flagris excipiendi sunt. Hujus farinæ sequentia sunt: num otia sint vitanda? num voluptati sit indulgendum? an licitum scortari? an necessarium sit piè vivere? an Deus sit causa peccati per accidens? Cum bonis moribus pugnat, in publico confessu agere, de hominis conceptione, modo concipiendi, alijsq; hujus generis pluribus, cùm teneris animis scandalum detur, quantumvis sua utilitate non careant.

§. 17. VII. Thesis denique non sit sublimis, ita ut mentis caput excedat. Quædam objecta simpliciter cognitu sunt impossibilia, quædam difficulter solum intelligibilia. Priorum exempla: quære de cœli altitudine, de numero stellarum, vel etiam arenarum in mari, quantum distet extimum cœlum à terra &c. Frustra hic cotem ingenij novacula Logica accue ad id penetrandum, cui intelligendo prorsus non sis. De posterioribus omnino, & quidem majori, diligentia sudandum est, ut veritas tandem, si non ex asse, tamen ex semisse, si non hic, tamen non nihil indagetur. Nam in his, quæ sunt altioris, nihil simul teste Cicerone, & inventum est & perfectum.

§. 18. Seculum nostrum suâ felicitate prisco non cedere, is fatebitur, qui plurima insignia naturæ miracula altius perpendet. Ecce enim Planetæ nova, stellæ fixæ nova, Solares maculæ, nee non Cometen considerationes seculo nostro celsius & certius sese manifestarunt. Utut autem quædam ex hisc cognita fuerunt priscis, nequaquam tamen & illæ tantæ certitudine asperuere valuerunt.

B

Quid

Quid dicam de adamantinâ celi materia? de elementi Ignis situ & motu? de Galaxiâ? Sic Refractionum possessum nobile nobilem Typhonem authorem agnoscit. Si in his, ut difficultibus & subtilioribus, posteritas non sudasset, tam perfecta barum rerum cognitio ad nos non descendisset.

§. 19. *Hujus loci est sequens questionum pars: An de principiis, & contra negantem principia sit disputandum? Principia vel per se sunt lucida ac indemonstrabilia, vel nomine tenuis talia, adeo & Conclusionum demonstrabilium naturam induentia. Priora sunt sententiae verissimae & notissimae, ut, intellectus terminis, nemo assensum ei negare possit. Notissima sunt suppositis motivis assentiendi. In Philosophia ratio assentiendi est vel contradictionis necessitas, vel objecti claritas & evidentia. Contra quæ si quis vellet disputare, eavél evertend, vel in dubium frustra vocando, intellectus imbecillitate laborare, & commiseratione dignus diceretur. Si est Conclusion, de hac poteſt esse controversia, adeo & disputatio.*

§. 20. *Hic illi, quibus experientia semper in ore est, non sunt audiendi: quicquid experientia dicit verum est, adeoque non disputandum. Facile enim fieri potest, ut vel non omnia ad sentiendum adfuerint requisita, vel plus debito indulsum fuerit uni vel alteri experientiae, quam alia evertit. Multi quoque alienis oculis vident, & nihilominus experientiam deblaterant.*

§. 21. *Contra negantem principia est disputandum: 1. qui negat principia cognoscendi easque communissima. 2. qui negat principia in sensu incurrentia. 3. qui negat paratum omnium principiorum, hoc est, omnia universalia & particularia. 4. qui negat specialia principia. Nihilominus ex superiori quadam disciplina cum illo est agendum: aut si hoc negat, ad absurdum deducendus.*

POSITIO TERTIA.

Personæ disputantes sunt Respondens &
Opponens.

ENODATIO.

§. 1. *Respondens est persona disputans, quæ in mutua collatione theses vel à se propositas, vel ex conventione collectas propugnat, easque ab Opponentis objectionibus vindicat. Hac persona in consuetis certaminibus*

76!

taminibus duplex esse solet: altera sublimior, quæ Præses indigitatur: altera nomen Respondentis, hoc est, defendantis simpliciter retinet.

§. 2. Præses est caput Respondentis, ut hunc, si adversario non sufficienter resistat, sublevet. Et hic non est alia persona, à Respondente distincta, sed ratione sui officii pertinet ad Respondentem, ut hujus causam, tanquam arbitrari primarius, promoveat. Nota, quod non nunquam pro re uata & Opponentem juvare possit, ut ita sit totius disputationis quasi moderator.

§. 3. Opponens est (aliis interrogans, à veterum modo opponendi, qui nil erogando fiebat: quibusdam argumentans, quod opponendi munus argumentandi incumbat) persona disputans, quæ in collatione mutua questionem ad disputandum propositam oppugnat, eamq; objectionibus suis expugnare conatur.

§. 4. Sunt ergo duæ personæ, in conatibus disconvenientes, in veritate convenientes. Prius, quod disputatio fiat inter dissentientes, non inter consentientes: posterius, quod veritas communis utriusq; existat finis.

§. 5. Hæ personæ sèpissime possunt confundi, ita ut Respondens in Opponentem degeneret, & hic viciòm in Respondentem, vel ob Respondentis imperitiam, vel opponentis fraudem. Prius committitur, quando solutione argumentorum non est contentus, novasq; rationes affert, easq; arguento Opponentis opponit. Quo ipso metam suam transilit, arguunt OppONENTI nudum objicit latus. Nam Opponens, hac occasione data, ubi rationes à Respondente allatas examinabit, nolens volens cogetur Respondens opponere, adeoq; fieri, ut Respondens officio Opponentis, & hic Respondentis, fungatur.

§. 6. Posterius quando Opponens subdolè circumvenire Respondentem laborat, ut ad hunc onus probandi devolvat. Quod ut felicius procedat, solet ejusmodi syllogismos opponere, in quibus ex certâ majore propositione minor resultat negativa, easq; negativè concipiatur per impossibile: Vel alio modo, ut ab opponente ejus probatio non flagitetur. Hinc tritæ locutiones: tua thesis non potest probari: nullum habet fundamentum: à nullo unquam ita fuit statutum. Hinc quia minor est negativa, putant Respondenti incumbere onus probandi secundum tritum: affirmanti incumbit probatio. Hoc Respondens nisi cautè sciat averttere, iterum, statione suâ relata, ea quæ sunt Opponentis, exequetur.

§. 7. Hanc permutationem esse vitiosam, &orum munera evincunt. Nam 1. distinguuntur officio. Respondentis est contraria Opponentis argumentare futare, quæ theses Respondentis destruant. 2. Proprio fine: istius thesin defendere; hujus destruere.

§. 8. Ceterum in hoc partes Respondentis meliores sunt Opponentis, quod Respondenti, etiam affirmanti, non incumbat probatio. Vallet hic Canon saltem in iis, quæ extratheses affirmantur & ponuntur. Ideoq; nullo modo ad Respondentem, hujus quantum theses attinet, pertinet, exceptis iis, quæ extra theses in respondendo profertur. Quomodo sit hoc amoliendum lege cap. 5. Claris. L. Scharfii, de person. disputat. pag. 133. usque ad 42.

§. 9. Ex his duabus positionibus instar Corollarii sequitur: Disputationem esse mutuum colloquium, in quo de qua^{re} stione dubia eruditè & distinctè disceptatur, ita ut unus thesin propositam infringere alloboret opponendo: alter eandem defendat respondendo.

§. 10. Disputatio primò dividitur in eam, quæ est ad rem & quæ est ad hominem. Illa, quæ disputatur ex principio genuino ac verètali, quamvis ab adversario protali non agnoscatur; hac quæ ex ipsius adversarii hypothesibus, quamvis falsis, ipsum vincimus. Exempla sunt 1. Christi Matth. 19, v. 17. 2. D. Apostoli Pauli 1. Tim. 1, v. 12 & alibi. 3. Patrum contra gentes. Vid. Ideam boni disput. & malitiosi Sophistæ Dannenhaueri art. 7. c. I. sect. I. p. 50, 51, 52, 53.

§. 11. Secundò alia est ad nos, alia ad alium. Illa, quæ, alia solitaria, non præsente adversario controversiam tractamus, sive literis consignetur, sive non; Hac, quæ adversarius contra nos suam causam agit.

§. 12. Porrò secundum diversa principia, alia est ex principiis genuinis, iisq; primò vel communibus, vel propriis, secundò, vel probabilitibus vel necessariis: Alia ex principiis spuriis. Denique respectu facultatum, quadam Juridicæ, quadam Medicæ, & quadam Philosophicæ.

POSI-

POSITIO QUARTA.

87

Requisita disputantium sunt duplia, Doctrinalia & Moralia.

ENODATIO.

§. 1. De' disputationis objecto & personis actum est, sequitur ut de harum proprietatibus agamus. Nos Clariss. L. Schafii vestigia tenentes, ita has sumus proposituri, ut distincte proponantur tam ea, quæ sunt præparatoria & conflictum præcedentia, quim ea, quæ in ipso conflictu veniunt observanda. Illa requisita, hæc officia disputantum vocabimus, bene scientes, requisita à quibusdam appellari normam (*quam faciunt geminam instrumentalem & realem*) & media, ad quæ variam variarum rerum cognitionem, insigne eruditionem & dextram rerum applicationem referunt.

§. 2. Plura ad veram disputatorem requiri, liquet ex bujus definitione: Disputator est analyticus omnium controversiarum, in omni scibili occurrentium ad discernendum verum à falso. Requisita doctrinalia sunt, quæ ipsius doctrinam spectant: suntq; vel instrumentalia, quæ consistunt in apparatu illorum instrumentorum, quibus res tractari debent: vel realia, quæ consistunt in præcognitione rerum, de quibus disputatio est instituenda.

§. 3. Instrumenta necessaria sunt iterum duplia: Linguarum peritia & præceptorum Logicorum praxis. Prius innotescit partim ex consuetudine, partim ex ipsarum controversiarum conditione. Quamvis omnes disputationes vernaculo idiomate peragiqueant, ita ut Germani Germanicè, Itali Italicè, Græci Græcè disputent, tamen hoc non satis, cum særissimè nobis cum exteris & eruditis sit disputandum: optimi autores in omnibus facultatibus evolvendi, qui alio loquendi idiomate utuntur: quedam Linguæ fundamentales, quibus res à primis autoribus sunt annotatae.

§. 4. Præceptorum Logicorum possessio adeò necessaria est, ut simpliciter ad omnem, cuiuscunq; etiam generis, ordinis aut materie fuerit disputatio, semper sit necessaria. Major ergo cura Logica, quam Linguarum si oparet, cum bujus major & utilitas & necessitas. Hæc enim sola est, quæ enodat instrumenta ad omnem discursum necessaria: hæc sola explicat fundamenta con-

sequentiarum: hæc sola arma, quibus Sophistis resistimus, ministrat. Unico verbo: Logicus est totius Philosophia, immo omnis eruditionis instrumentum. Lege egregia Logica encomia patrum cap. 6. de requisitis disputantium Clariss. L. Scharfii à pag. 147. usq; 158.

§. 5. Toram Logicam dividunt in partem formalem & materialē, quarum illa de formā Syllogismi, hæc de ejusdem materia agit. Ultrapars pars urgenda. Ex prædicamentis cùm aliqualis cognitio succurrat, considerandum est, ex quoniam prædicamento termini alicujus Problematis sint desumti. Nam res sunt vel supra, vel infra, vel in prædicamentis. Ex Anteprædicamentis & Postprædicamentis formatur judicium de mutuā terminorum habitudine ad prædicandum, an sit affirmativa, an negativa. Si est affirmativa, videndum est, num sit essentialis, num accidentalis, adeoq; ex natura Synonymorum & Paronymorum, idemque Generis, Speciei, Proprij, Differentiæ aut Accidentis examen instituitur; Si negativa, fundamenta ex Oppositis & Disparatis petantur oportet.

§. 6. Ita secundus & tertius (in quibus singulorum capitum usus demonstrare nimium foret operosum) Logici libri, quamvis maxime sint necessarij, nescio tamen, an quiequam in secundo magis à Sophisticis insultibus nos muniat, quam nominum & eorundem Suppositionum, Descensionum, Status, Ampliationis, Exponibilium & veri contradicendi modi cognitio. Vide Dannenhau. cap. 2. & 3: ut & Horneji Processum disputandi cap. 4. & 5.

§. 7. In tertio insigniter prodest, consequentiam, connexiones, conclusiones, argumentationes, dextrè & expeditè posse discernere, urgere & urgente necessitate emendare: informandis syllogismis, transformandis, reducendis & convertendis se exercere, ut forma syllogistica & promptè instituatur & dextrè examinetur. Adi cap. 6. proces. disput. Horneji: nec non Clariss. L. Scharfii cap. 6. p. 159. 160. 161.

§. 8. Circam materiam attendendum, num principia sint particularia, an universalia, b.c. necessaria, an verò probabilia. Hæc accuratè intelligere, plus difficultatis continet, quam naturam syllogismi nosse in communi, quia ista facile adolescentes capiunt, hæc quoq; adultis negotium facessunt. Ut enim multum interest inter-

scien-

scientiam & opinionem, inter principia propria communia, atque inter id, ut noris, quare sit, & ut tantum quod sit: ita etiam insigne discrimen sit oportet inter precepta, quibus illa, & quibus haec constant.

§. 9. *Communia, ut sunt communia, non pariunt evidentem rei notitiam, sed propria. Nam ut universalis entis natura in omnibus rebus reperitur: ita etiam propositiones, quae de rebus certo modo valent, non sunt tantæ, ut ex his res particularis evidenter cognoscatur. Verum in scientia universalis, in qua fiant propria, faciunt demonstrationes. Hinc sequitur accuratam rerum notitiam ex sola demonstratione peti, minus accuratam ex syllogismo dialektico. Demonstratio enim ex propriis, argumentatio ex communib[us] constat.*

§. 10. Porro ut accurata rei notitia in qualibet disciplina ex propriis cuiusq[ue] principiis hauritur: ita etiam oportet disputatorem esse sollicitum demonstrationem h. e. certitudinem in re quacunque sectari. Sed quia admodum difficile est, hanc ubiq[ue] reperiire, aut repetam a ceteris probationibus eruere, Dialectica succidaneam operam præstat, cuius adminiculo ex communib[us] principiis probabiliter cognoscitur, quod ex propriis clare percipi nequit.

§. 11. Ex his sequentia resultant Corollaria.

I. Naturalem Logicam non sufficere ad scientiam: & sine Logica neminem evadere scientem. Hoc, qui sciens utitur demonstratione, qua sit per causam. Omnis autem demonstratio ex Logica peti debet. Illud ob magnam rerum difficultatem, naturæ cæcitatem, hereticorum malitiam, sophistarum astutiam, & plures magnorum virorum lapsus ex ignorantia commissos.

§. 12. II. Semper Logicè disputandum esse, & disputare, non verò formaliter, non esse disputare. Nam quo ad prius Logica explicat leges & instrumenta, quæ in omni disputatione sunt observanda. Nota formaliter disputare, non solum esse expressis in certa figura & modo formatis syllogismis, sed etiam legitimâ consequentiâ uti, & leges Logicæ non postponere. Hinc sequitur & posterius. Nam si in omni disputatione justa Logisticarum regularium Lex, etiam est bona consequentia. Ergo bona forma locum obtinet, imò ipsum & formaliter disputare, quia bona consequentia & bona

bona formare non differunt. Sin minus, non disputat, sed fallaci-
arum laqueos necit, ita ut à baculo ad angulum colligat.

§. 13. III. Solidum dijudicandæ cognoscendæque veritatis
magisterium non in solâ formâ syllogistica consistere, sed et-
iam materiae judicium, hoc est, connexionis prædicati cum sub-
jecto examen requiri. Nam et si valeat, quod syllogismus ad le-
gitimam formam non congruens sit rejiciendus, non tamen prope-
rea is, qui ad formam aliquam & modum quadrat, pronunciandus
est verus. Patet hoc primò ex sequentibus syllogismis:

Quicunque est magni viri filius est noxa.

Josephus est magni viri filius E.

Quod terram excedit, illud est majus terra.

Omnis arbor terram excedit. E.

Uterque, quamvis bonus in forma, tamen falsus. 2 Quia Syllogismus
intellectus nostri, qui tam circa vera, quam falsa versatur, prima-
rium est instrumentum. Hinc manifestum, materiae diversitatem
parere in nobis diversam intellectus actionem, adeoque diversum Syl-
logismum. Si hoc, sequitur, omnem & solam formam à disputatore
non esse admittendam, nec omnes propositiones. Nam in his, si non
datur nexus prædicatorum cum subjectis vel essentialis vel accidenta-
lis, conclusio nullo modo vel immutabiliter, vel saltem contingenter
verè inferri poterit.

§. 14. IV. Consequentiam non esse negandam, forma Syl-
logismi bona existente. Nam consequentia propriè ad formam
pertinet, ita ut is, qui negat consequentiam, eo ipso fateatur, adver-
sariorum Conclusionem deducere ex iis præmissis, ex quibus non sequatur.
Hoc autem minime gentium habet locum in iis Syllogismis, ex bona
forma procedentibus, cum aliud subsit vitium, videlicet materiae
falsitas. Ergo sic dicendum: Nego connexionem prædicati cum
subjecto.

§. 15. V. Primam curam formæ, secundam materiæ deberi.
Nam quando syllogismus forma laborat, nihil est ineptius, quam, se-
posita formæ falsitate, ad materiam respondere, cum hic cogatur,
aut negare verissimas propositiones, aut in his, quam non admittunt
distinctionem, querere. Exemplum sit:

Natura

Nullus Leo est arbor.

N. Quercus est Leo.

E. N. Quercus est arbor.

Conclusio, ut quivis videt, est falsa, ex veris tamen premisis deducta. Ego Cerberum ex inferis adducam isti, qui, neglecta forma, responderet. Inde collendum, quantum solacissimum committant dicentes: ut ut sit forma, ad materiam respondeo.

§. 16. VI. In demonstratione & à communibus & ab extraneis cavendum esse principiis. Ratio prioris, quia ex communibus nulla fit demonstratio: posterioris, quia fieri nequit, ut ex alio generere in aliud transiens quicquam quis demonstraret.

§. 17. VII. In dialectica argumentatione principia esse limitanda. Nam cum haec ob suam communitatem aliter atq; aliter plerumq; se habeant, nihil est facilius, quam ut principium, alioquin verum, fallat, vel, quod male accipiatur, vel quod male accommodetur.

§. 18. Querimus h̄c, quid sit met̄abasis eis alio yēt seu transitus in aliam disciplinam, cū sapissimè innocentissima argumenta hac infamia notentur. Ex Aristotele Dannenbauerus ostendit, quatuor ad ejusmodi verum transitum requiri. 1. Ut subjectum, cui peregrinum principium exhibetur, planè sit diversum, ac oppositum subjecto illius scientie in quo illud principium est domi. Sic diversa sunt numerus & quantitas. Erant h̄c, qui intelligunt per aliud genus aliam disciplinam. 2. requiritur, ut principium verum sit. 3. Ut demonstrationis gratia ejusmodi principia afferantur. 4. Ut sit principium peregrinum. Consule sect. 2. cap. 5. Dannenhau. idē boni disp. & malit. Soph. ut & cap. 7. processus. disput. Horneji.

§. 19. Ad realia requisita pertinet cognitio Metaphysicæ, principiorum & hypothesum adversarij: questionum maximè disputabilem: illius discipline, ex quæ theses ventilande desumuntur: in primis presentis materiæ, quam examinandam proponit.

§. 20. Metaphysica necessaria est, quia explicat terminos generalissimos, definitiones universalissimas & principia communia, quæ in omni disputatione occurrunt. Hec si non didiceris, nego legitimè his uteris, nec adversarios finistrè applicantes, refutabis.

§. 21. Principiæ adversarij, cum quo tibi res est, novisse debes, ut in

certamine non canum rationibus & scripturâ, sed & propriis ipsorum principiis refellas. Hoc enim autoritatem adversarij deprimit, cumque illustrat, cum iste nolens volens veritati assensum præbere ex propriis cogatur. Pulchrior Davidis victoria, quod suum hostem Goliathum proprio gladio jugularit. Sic hodie M. ille Theologus Joannes Gerhardus p. m. qui in duobus libris, quos paucis annis ante obitum scripsit, doctrinam Evangelicam ex Romano-Catholicorum scriptorum suffragiis confirmat, de Papistis triumphat.

§. 22. Definitiones, Canones & quæstiones, in quas frequenter disputationes incurruunt, memoria diligenter sunt infigendæ, quia his, ut telis, Opponens, quæ in Respondentem jaciat, Respondens vero, quomodo hac salvo latere declinet, uti potest.

§. 23. Tandem materiam, de quâ præsens disputatio est habenda, accuratè & intimè cognoscat necesse est, probeq; attendat, quid controvertatur, & quid non. Historias itidem ad unguem sciat, quo tempore, qua de causa, & quibus argumentis controversia aliqua mota & agitata fuerit: quid olim responsum, & quid hodie iterum exceptum.

§. 24. Ex his iterum sequentia Corollaria:

I. Ex falsis & incertis, vel ex non concessis non esse disputandum. Nam quod est dubium inter partes litigantes, ita, ut de eo non convenient, ne utring; satis constet, alicujus disputationis principium esse nequit. Nam hoc respectu litigantium, qui alias in suis argumentationibus perpetuò principij petitionem committent, certum & minimè dubium sit oportet. Ita Ethicus, mundum esse sex diem spatio à Deo ex nihilo conditum, ex Mose, quem iste non recepit, non potest confundi. Sic disputatus contra Judæos, Messiam venisse, in Novo fædere risu excipitur, cum Judæi scripta Apostolica non recipiant.

§. 25. II. Malè disputare, qui suas hypotheses negant. Sic enim fundamenta negantur. Quid autem hic, nisi rixa expeditandum? Hujus criminis deprehenduntur rei Papistæ; hi enim, ubi ex S. Scriptura fuerint vici, eò dilabuntur, ut banc Scripturam, omnium Christianorum principium negent.

§. 26. Requisita Ethica sunt virtutes morales, quæ vel generalis, ut veritatis amor, vel speciales, ut pietas, justitia, modestia, Candor,

Candor, taciturnitas &c. Doctrina sine pietate est instar gladij in manu furiosi: & qui proficit in literis, & non proficit in motibus, plus deficit, quam proficit. Primarium est veritas; haec enim est omnis disputationis finis principalis. Hunc ut obtineamus, 1. requiritur in utroq; disputantium bona intentio, 2. præconceptrum opinionum & affectuum, in primis malorum, absencia. Illæ enim legitimi judicij assensum impediunt; hi mala cause invidiae, inscitiae, non raro temeritatis, signa esse solent.

§. 27. Pietas omnis virtutis & actionis quasi anima est. Hinc disputationi Spiritus Sancti gratiam imploramus. Justitiam observet, ut suum cuig; tribuat, gloriam Deo, & debitum colloquentibus honorem: Modestiam, ne plus, quam par, de semetipso sentiat, reliquosq; conueniat: familiaritatem, cum hac disputationi auditorij favorem conciliat: Candorem & Taciturnitatem. Ille, ne alteri thesin vel responsionem affingat, haec ne nimiis interpellationibus sit molestus. Ut mediâ viâ, quam beati tenent, hic incedat, omnes observet circumstantias, b.e. materiam disputationis, personas, locum, tempus.

§. 28. Ex his sequentia Corollaria.

I. Sophistas, unâ cum variis strophis, nugis, explosionibus, illusionibus, subsannationibus, esse excludendos. Indigni enim sunt, quibus disputatione committatur: in primis in Theologicâ materiâ, cum in hoc Sanctum Sanctorum, non nisi cum timore & tremore sit introeundum.

II. Cum rixosis, protervis atque imperitis non facile esse congregendum. Nam cum bi, quacunq; id fiat ratione, si non sufficiente solutione aut doctâ oppositione, vincere teneant, satius est à disputationibus abstinere, ne ad id ducaris, ut te cum veritate prestituas.

III. Inter pocula à disputationibus esse abstinendum. Haec ventosa jactantia detestanda est, quia est contra ordinem. Nihil n. est inconvenientius, quam ubi latandum, ibidem de arduis questionibus in medium aliquid proferre, se ostentare, & de asini umbrâ disputer. Quia tales homines non raro aliorum fama insidias struunt. Nam cum ob varium temperamentum fœundi calices, hunc disertum, illum reddant mutum, non est cuiusvis, madidum vino disputatione. Hinc

C 2

si quis

si quis nodum aliquem non solveret, non sequitur: Ebrius non potest.
E. neg₃ sobrius.

POSITIO QUINTA.

Officia disputantium sunt vel generalia vel specialia. Communia sunt, quæ tam Respondenti, quam OppONENTI con-veniunt.

ENODATIO.

§. 1. Sequuntur disputatorum officia secundum primum præcedentis positionis paragraphum. Alia hic, quæ utrig₃ sunt communia, alias specialia, b. e. vel conflictus proœmium vel ipsum concernunt conflictum.

§. 2. In conflictus proœmio quæ veniunt notanda, quamvis omnia fermè ex præcedentibus sint clara, tamen majoris perspicuitatis gratiâ sequentia quing₃ notabis: 1. Statum controversiae recte esse ponendum. Nam hic est materia litis, ne alias frustra disputetur, & cœcis pugnetur iictibus. 2. Certa principia, in quibus convenient, præmittant. Nam si in his nulla convenientia, multo minus in illis, quæ ex principiis deducuntur. 3. Argumenta in utramq; partem exco-gitent, & quid objici, quid responderi possit, sedulò ruminent. 4. Alius Opponentis, alius Respondentis vicem eligat, ut uterq; melius se præparare queat. §. Captet sibi benevolentiam, & potissimum auditorum præsentium animos sua modestia sibi conciliet. Quā in re utatur exordio non prolixo, non arrogante, aut impertinente, aut à scopo alieno.

§. 3. Que in conflictu tenenda sunt, præter ea, quæ de disputatio-nis requisitis sunt dicta, sequentia: 1. Tām Respondens, quam Opponens vigilet, ne vel per sophismata vel per stratagemata à sco-po abducatur. Priori resistimus ex consequiarum regulis & do-ctrinâ: posteriori ex legitimi respondendi modi observatione. 2. Uterque verborum suorum sit memor. Volat irrevocabile verbum. Ide-og₃ cavendum, ne verbis suis sibi metipsi sit contrarius, ne auditoribus vel risum vel misericordiam moveat. 3. Uterq; non tam autho-ritate, quam rationibus pugnet. Libere enim Philosophandum. Valet hic regula trita: Amicus Plato, amicus Aristoteles, sed magis amica veritas. 4. Utroq; annitendum, quomodo ex uno discursu plures eliciat conclusiones & adversarium ad absurdum ducat, cùm fortius premi nequeat, quam manifeste falsa concedendo.

POSI.

POSITIO SEXTA.

Officium Opponentis est vel primarium vel secundarium. Primarium consistit vel in proœmialibus, vel in ipso conflictu. In conflictu duo sunt: Objectiones in medium proferre, easdemq; urgere. Secundum stratagematicum seu sophisticum.

ENODATIO.

§. 1. *Præparatoria*, i. e. proœmialia, observatis observandis enucleant sequentia: 1. Inspiciat thesum ordinem atq; inscriptionem. In thesibus querat omnes ambiguitates, distinctiones & limitaciones, omissa & superflua, & num status controversiae rectè fuerit formatus 2. Tela, quæ in theses dirigat, fabricet. Hinc sequentia duo consecutaria: (1.) Adhunc conflictum armis instructum esse accedendum. (2.) attendendum thema præsens, cuius sit disciplinæ. Hoc n. modo argumenta, vel ipse facilius inveniet, vel à doctioribus mutabitur. Id quod ex aliis excerptum, frequenter in animo versabit, & ornabit alignis verbis, ut, quasi vestitu orationis mutato, cum eadē sint, alia tamen videantur. 3. Argumenta memoriae mandet. Ingenium hoc est servile, quod ex autoribus (loquor de adultis) absq; selectu omnia descripta ex charta recitat.

§. 2. In conflictu observa, quæ jam sequuntur: 1. Legitimæ contradicces, ne ignorantem elenchi committas, & respondentem injuria afficias. 2. Rei, in primis ei, quæ est disputationis principalis: tumultuario opere ordini, alisque, in quibus videbis esse peccatum commissum. 3. Theseos falsitatem ostendes directe & indirecte, b. e. incommoda, quæ ex hac assertione dimanant. 4. Rationibus pugnabis. Nam est turpe nudam auctoritatem urgere & audire: iustasti in verba magistri. 5. Argumenta syllogisticæ, b. e. integris propositionibus propones, ut Respondens mentem, tu responsionem percipias, tempus redimatur & ad auditorium major redundet audiendi utilitas. 6. Præmissas, si probatione indigeant, non rogatu probabis. Sic enim ob tuam promitudinem auditorij applausum mereberis, & antagonistæ injicies terrorem. Parce tamen Respondenti minus exercitato, ne timidum reddas.

§. 3. Alterum in conflictu notandum est argumenta urgere. Ue non est laudandus, qui in data quacunq; responsione quiescit: ita culpandus, qui cum clamore eadem chordâ oberrat. Ergo ut & hanc tui officii partem cum laude tractes, sequentia observato: 1. Responsionem examina, an sit ad formam, an ad materiam. 2. Si ne-

C 3

gatur

gatur consequentia, petes à Respondente vitium. Hoc enim ipsi incumbit, cùm semper dicere q̄ eāt: nego consequentiam. Non valet hic: affirmanti incumbit probatio, quia de materia, non de forma est accipiendum. 3. Si vitium formæ fuerit demonstratum, id vel corrige, vel si non potueris, planè omitte. 4. Si respon-sio est ad materiam, videbis, an sit per distinctionem, & quod ne-necessariò sequitur, ex distinctione data limitationem, an per ne-gationem, an denique per concessionem. Tot enim modi sunt, ut sequens positio dabit 5. Si utraque præmissarum est concessa, inferes, etiam conclusionem esse concedendam, quia in bonâ for-ma ex veris non sequitur falsum. 6. Si alterutram vel utramque Respondens negat, tuarum est probare. 7. Si distinguit, atten-de, num distinctio habeat fundamentum, & num legitimè ap-plicata: si utrumq; fuerit præstitum, quiesces: sin minus, Respon-den-ti ostendes. Lege Clariss. L. Scharfii cap. 10. de urgendis argu-mentis, exceptionibus atque instantiis.

S. 4. Secundarium Opponentis officium consistit in tentationi-bus, & artificiis. Unde etiam dicitur sophisticum & stratagemati-cum. Hoc quia est accidentale, adeoq; ad rem non pertinet, ne pa-gellarum numerus fiat major, omittendum. De hoc eruditè scripsit sepe laudatus Dannenbauerus, quem consulte.

DISPOSITIO SEPTIMA & ultima.

Officium Respondentis itidem vel primarium vel secun-darium, Primarium vel generale vel speciale,
Secundarium sophisticum.

ENODATIO.

S. 1. Generale est, argumenta Opponentis assumere & ad ea respon-dere. Prius, ut omnibus constet, mentem Opponentis esse perceptam, lo-cus cogitandi de responsione detur, Opponens melius possit ruminari ea, qua circa argumenta sunt monenda, & tandem, ut adstantes ar-gumenti nervum melius percipient. Ut hic Respondens sese auditori-bus commendet, argumentum Opponentis repeatat sine omni verbo-rum ambiguitate, tergiversatione & prolixitate, modestè absq; sensus mutatione, cum quadam mora, partim propter auditores, partim propter semetipsum, voce clara, distincta & perspicua.

S. 2. Speciale consistit in solvendis Opponentis argumentis. Non repetam

repetam hic ea, quæ superius sunt dicta, quod omnis quæstio à scopo aliena rejicienda, generalia non admittenda, syllogisticè disputandum, forma materiæ præferenda: sed tantum, quæ hujus loci. Itaque omne syllogismi examen est vel Logicum vel reale. Logicum vel formale vel materiale. Logicum utrumque instituitur ex Logica: formale ex parte formalis, materiale ex materiali. Reale ex disciplinis realibus.

§. 3. *Formale examen duabus absolvitur regulis:* 1. *Forma vel vitiosa, vel vera.* Si est vitiosa, Respondens vitium ostendat, & Canonem, contra quem peccatur, proferat. *Perpetuum mala formæ indicium est, si Conclusio, præmissis veris existentibus, existat falsa.* 2. *Integrum argumentum, nisi corrigatur, tanquam ineptum, rejiciat.*

§. 4. *Logicum materiale examen tres sequentes regule absolvunt.* 1. *Conclusio est observanda, an thesin feriat, nec ne.* 2. *Si non ferit, b. e., si non contradicit, Opponentem accusare potest vitii, quod vocant Elenchi ignorationem:* Si ferit, videndum est, ex quibus principiis Opponens Conclusiōnēm diduxerit, & quomodo medium cum extremis cohæreat. 3. *Medium cum extremis vel falsè, vel verè, copulatur.* Si verè, sit illud vel absolute, vel secundum quid. Si est falsa coherentia, responsione gemina potest uti, directâ & indirectâ: illa fit per Inficiationem, additâ negationis ratione; hac, vel per Instantiam vel per Inversionem. Si est absoluta medii cum extremis coherentia, totum argumentum est concedendum, atq; victoria est penes Opponentem. Si secundum quid, distinctione satis facit. Distinctione prolatâ major limitanda, & limitatione factâ, vel minor neganda, vel totum argumentum concedendum. Horum omnium fundamentum ex iis, quæ sunt dicta superius, in Positioне quarta de Instrumentali seu Logico disputantium requisito, pulcrè dabitur.

§. 5. *In reali syllogismi examine itidem tres sequentes regulas nota.* 1. *Prima cura sit majoris.* Hac enim plerumque existit veritatis fons. Ergo major distinguenda. Quod si enim major simpliciter concedatur, & ad minorem respondeatur, distinctione per se vel per accidens, simpliciter vel secundum quid, vel simili modo, tantum abest, ut Respondens aliquid agat, ut etiam in epto hoc respondendi modo formam minoris alias bonam vitiet. 2. *Responsio negativa exulet, ubi limitativa habet locum.* Nam leniora Respondendi media durioribus præferenda. Adde quod major eruditio in distinctione, quam inficiatione, cum hæc etiam à stultis adhibetur. 3. *Major nunquam limitetur, nisi prius major fuerit limitata.* Nam forma vitiabitur, quia omnis limitatio ad predicatum pertinet.

§. 6. *Ex hactenus positis Enodationibus sequentia extruimus Corollaria:*

I. Indicatio

I. Indirectam responsonem non esse sufficientem. Non enim argumentum solvit, sed tantum ostendit, quod major non procedat.

II. Ad Conclusionem nunquam esse respondendum. Nam error semper est in altera premissarum, & Conclusio falsa presupponit falsam premissam. Ratio, quia ex premissis, tanquam causis sufficientibus in actu, necessaria inferuntur conclusio. Neque etiam tunc respondendum est, quando ex premissis non inferatur, aut quando plus in ea est, quam in premissis, quia tunc non est conclusio. Nunquam enim, quod vi causarum non existit causati nomen sortitur. Ergo si non est Conclusio, negari negari potest.

III. Indirectam responsonem, quae sit per instantiam, ab OppONENTE non refutatur sequentibus; est diversa ratio, est disparitas in exemplis.

Nam 1. hec responso est aliena, quia non desimilitudine & dissimilitudine, sed de majoris universalitate, quam recte unicum exemplum destruit, queretur.
2. Est contra Opponentem, quia ipse fatetur tacite majorem falsam conclusionis causam esse, cum nec formae, nec minoris veritatem, reprehendere queat.

IV. Responsonem esse bonam; Conclusio est falsa. Ergo vel major vel minor. Quanquam dentur syllogismi in quibus ambe premissae deprehenduntur false, v.g.

Omnis homo est lapis.

Omnis asinus est homo. E,

Omnis asinus est lapis,

non tamen id per se & semper est, ut artis precepta requirunt, sed per accidens & aliquando. Simpliciter autem & semper valer disjunctivè Conclusio est falsa. Ergo vel major vel minor.

S.7. Pari modo, ut Opponens certa stratagema potest adhibere, quibus Respondentem circumveniat: ita, & Respondenti non desunt, ut par pari referat. Hinc hoc officium vocatur Sophisticum. Vide Dannhauerum.

CONCLUSIO.


Hæc sunt, quæ proponere volebamus, h. e. compendium totius processus disputandi Clariss. L. Scharfi, Praeceptoris nostri honorandi, ex quo omnia fermè desumimus. Sed neque L. Caselius prætereundus, cum hunc in Tractatu de accurato disputandi generè, consuluerimus. Exempla non ubique addere potuimus. Officium stratagematicum & Opponentis & Respondentis omisimus, tanquam partem accidentiarum. Verò enim disputandi modo percepto, facile erit, & stratagemata, de quibus uberrimè agit Dannenhauerus, & addiscere & applicare. Deo veritatis fonte, sic gratiarum actio.

05 A 2393

ULB Halle

003 784 525

3



WDM

Olli






Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-575745-p0028-1

DFG



BREVES OBSERVATIONES
Genuini disputandi processus,

pro quibus,
Annuente supremi Numinis gratiâ,
SUB PRÆSIDIO

M. MICHAELIS WENDELERI,
Facult. Philos. Adjuncti,
HEINRICU S THOMÆ

Mœno - Francofurtanus
publicè respondere tentabit
die II. Julij horis antemeridianis
in Auditorio minori.

WITTEBERGÆ,
Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.
Anno clc Ie c XXXVIII.

71.